



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Statv Religionis Christianae, Per Evropam, Asiam,
Africam, Et Orbem Nouum, Libri IV.**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1619

Cap. XI. Brasiliae conditio & status.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11108

CAPVT XI.

BRASILIAE CONDITIO,
& status.

BRasilia pars orbis noui, à duobus ab AEquatore gradibus, ad quinque & quadraginta gradus in Austrum excurrit. Regio amœna est, coelo admodum iucundo ac salubri: scatet vbi que fontibus & fluuijs, saccari in primis ferax, & omnis generis animantium. Pro pane satiuis radicibus, quas *Mandiocam* appellant, in farinam reductis vtuntur: Ex ijsdem vel ex milio, aut varijs pomorum generibus, vinũ cõficiunt. Vites tamen alicubi triticumque inuectum feliciter videas adsurgere.

Gens ipsa nullos colit Deos, ominibus tantum & augurijs ad insaniam dedita. Nudi eque viri ac foeminae prorsus incedunt, nisi quod frigidiore coelo bombicinis foeminae vestibus vtantur. Infertos habent iam inde à prima ætate, deliciarum causa, inferiore dumtaxat labro, nonnunquã etiam facie tota, prelogos nullius ferè pretij lapillos, turpifanè spectaculo. Sparsis domicilijs, ac pagatim ferè habitant, nullo Magistratu ac legibus constricti. Gregatim peregrinantur, ordine simplici, vxore virum anteeunte. Con-

nubia

nubia apud singulos plura, nec amore aut beneuolentia diuturniora, quibus in odium versis, aut coniugij satietate restinctis, ipsa quoq; matrimonij vincula relaxatur. In rebus à terra suspensis ipsi cubant, ad noxia animalia vitanda. Numerandi rationes ac litteras prorsus ignorant. Si quos in bello capiunt, multa cura fagināt, ac demum macerant & edunt. Quæ quidem optatissimæ Brasiliensibus epulæ esse solent.

Anno 1549. Ioannes Lusitaniæ Rex, opera Thomæ Solæ Prætoris, urbem nouam, cui postea *S. Saluatoris* nomen est inditum, in Brasilia condi iussit. Sita est ea ad *Bayam*, quam vocant *omnium Sanctorum*. Cæterum *Bayæ*, tametsi Hispanis idem est quod finus maris, & ora ad illum maritima: obtinuit tamen vsus in Brasilia, vt hoc nomine ob eius *Bayæ* nobilitatem finus & ager, in quo sita est noua ista vrbs *S. Saluatoris*, & vrbs interdum ipsa significetur.

Anno 1552. primus Brasiliensibus datus est Episcopus *Petrus Ferdinandus*, qui vrbs *S. Saluatoris* propriè Antistes, reliquæ autè Brasiliensis Prouinciæ Commissarius generalis (vt & successores) deinceps est cognominatus. Is Metropolitanum suum agnoscit Archiepiscopum in Lusitania Olisiponensem.

Societatis Iesu Patres anno 1545. in Brasiliam

liam primùm penetrarunt, & habent hodie Collegium in signe in vrbe S. Saluatoris, siue Baya omnium Sanctorum; alterum Pernambuci, & tertium in opido, quod flumen Ianuarij dicitur: præter Residentias (vt vocant) aliasque domos insuper sexdecim. Sic vt ducenti circiter Socij, in procuranda Brasiliensium salute, magno cum fructu hodie laborent.

CAPVT XII.

COLLEGIA SOC. IESV
in Brasilia.

QVoniam aliorum ordinum Religiosorum cœnobia mihi sunt ignota, ad ostendendum Religionis nostræ apud Brasilienses statum, Collegia ac Residentias Soc. Iesu in ea Prouincia subnectam.

IN BRASILIA PRO-
uincia vna.

Bayæ	}	Colleg. Bayense.	}	Bayæ.
		Resident. S. Spiritus.		
		Resid. S. Ioannis.		
		Resid. S. Antonij.		
		Resid. B. Virginis.		
		Domus Ilhæorum.		Per]